




Hoc volumen continet

1. de Necessitate Physicæ in praxi medicæ.
2. Historia variolarum epidemicæ grassantium.
3. de Frigiditate fixæ mirabili efficacia.
4. de causis caloris naturalis et præternaturalis.
5. Natura morborum medicatrix mechanica.
6. Affectus hereditarii, illorumq. origo.
7. Historia febris malignæ epidemicæ petechiæ & Zantira.
8. Animus sanitatis & morborum feber.
9. De potentia ventorum in corpore humanum.
10. de mentis morbis.
11. de mercurio et Qualitate selecti.
12. de præcipuo sudicorum morbo.
13. Theses selectiores ex philosophiâ & medicâ.
14. De terebinthina.
15. de regimine prægnantium.
16. de pleuritide & peripneumonia.
17. de membris fractis.
18. de pulverum permutatoriorum usu & abusu.
19. de diarrhoea in febribus malignis salutari.
20. de remedii antidontalgici.
21. de opiatorum noua & mechanica operandi ratio.
22. de podagra retrocedente in corpus.
23. Motus optima corporis medicina. **Xc. 32.**
24. de morbo nigro Hippocratis.
25. Sacchari historia naturalis & medica.
26. de peregrinationibus sanitatis causa instituendis.
27. observationes prædicæ circa febres tertianæ.
28. de prudenti medicamentorum continuatione.

29. de conuersione morbi benigni in malignum.
30. de caryophyllis aromaticis
31. Aphorismi quidam practici.
32. Pulsum theoria & praxis
33. de opi correctione genuina & usu.
34. de morbis foetuum in utero materno.
35. de generatione diuum morbosorum in corpore
36. de morbis incongruis
37. Pullus gallinaceus in femina caecidica formatur
38. de atrophis.
39. de salubritate februum.



[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]



Vilectissimo Filio
Friderico Ernesto Hoffmanno
magne Spei iuveni, Medicinæ
cultori industriæ
in incrementum Auditorum suorum
commendat et offert hunc librum
Auctor
Anno mdcclxxiii.
M. Mijö.

32
31

DISSERTATIO INAUGURALIS
Pulsuum theoriam
& praxin examinat,

QUAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
FRIDERICO WILHELMO,
SERENISSIMO REGNI HEREDE,

PRAESIDE
FRIDERICO HOFFMANNO,
MEDICO REGIO ET PROFESSORE,
PRO DOCTORIS GRADU

Januar. A. M. DCCII.
ventilat

JOHANNES DEODATUS Blumentrost/
Moscoviensis.

HALÆ MAGDEBURGICÆ
Litteris CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, acad. typ. 1714

PRESENTATIO IN ACADEMIA
FRIEDERICI THEODORICI

FRIDERICI THEODORICI
MEDICINAE DOCTORIS
ACADEMIAE REGIAE HALLEN-
SIS PRaesidis



an Na 1659

FRIDERICI THEODORICI
MEDICINAE DOCTORIS
ACADEMIAE REGIAE HALLEN-
SIS PRaesidis





DISSERTATIO MEDICO PRACTICA
Pulsuum naturam, genuinas differ-
rentias & usum in praxi ex san-
guinis circulo evolvens.

PROOEMIUM.



Uemadmodum in me-
dicina a multis retro seculis, tanta
opinionum & interpretationum dif-
fensio atque discordia fuit, ut ni-
hil fere a dubiis & difficultatibus
manserit intactum, nihilque con-
stans ac firmum exstiterit: ita illud
ipsum evidentissime cernere licet in practica illa de pul-
sibus materia, quæ quo utilior & magis nobilis est, eo ma-
joribus etiam dubiis & dissidentibus opinionibus involvitur.
Ita complures etiam ex recentioribus reperiuntur,
qui circa pulsus physiologiam non similes, sed contrari-
os sovent conceptus, cum dubitent, an motus ille qui
tactu in arteriis percipitur sit systole vel diastole, item,
num cordis & arteriarum motus temporis momento sit
unus idemque. Alii & maxime Veteres innumerabilem

pulsuum differentiam insinuant, quæ plane inutilis, & subtilitatibus multis metaphysicis Herophilæis referta est quorum plurimi nec tactu percipi, nec intellectu possunt comprehendere. Alii ex aduerso nimium constringunt pulsuum differentias, & duas vel tres tantum in praxi admittere volunt. Nonnulli varias pulsuum species pro una eademque habent, cum alii contra distinctionem harum in praxi pernecessariam & harum confusionem summe pernitiosam urgeant. Res clara est de pulsu celeri & frequenti, ubi plurimi recentiorum, unum eundemque pulsuum sic dici posse firmiter & constanter asseverant, alii contra in Praxi maximum momentum in horum distinctione versari contendunt. Pulsus vehemens fortis magnus & celer subinde ab autoribus pro una eademque specie habentur, quas tamen separatas esse, alii volunt. Paucis: si experientiam consulimus, raro duo Medici ad lectum ægri circa pulsuum denominationem inter se conveniunt. Quod ad pulsuum usum in Praxi attinet, & hic variæ se stant opiniones, dum quidam eum fallacissimum esse in morbis signum & tantum in quibusdam febribus, habere usum asseverant, alii autem tam necessariam Practicis existimant pulsuum notitiam, ut si quis in hac non excellat, certum circa morbos præsertim latentes prognosticon atque indicium formare nequeat, unde cum Chinesibus pulsuum scientiam maximopere suspiciunt & æstimant, adeo ut per longum tempus variis in partibus accurate pulsus explorandos esse statuant. Nostra opinione origo ac fons harum dissensionum ex eo videtur profluxisse, quod Veteres dum sanguinis circularem ignorarunt motuum & pulsuum differentes species excogitaverint & desumerint ex speculativis differentiis corporis
cujus

* (5) *

cujusdam solidi impulsu. Recentiores autem sicuti utilissimum illud inventum circulationis rarius in Pathologia & Praxi applicaverunt: ita contenti fuerunt Veterum circa pulsum regulis, neque ex hoc invento recte pulsum naturam & differentias explicuerunt. Ut itaque aliquid firmi constantis ac rati habeamus, quo dubia omnia removere possimus, ne amplius decipiantur magistri vel alios decipiant, placuit ex sanguinis circulo, pulsum indolem & veras differentias statuere & usum practicum simul indigitare. Quod ut feliciter cedat institutum, Deum T. O. M. supplicibus invocamus precibus.

CAPUT I. De Pulsu Natura.



Neequam ad pulsum differentias & causas varias enodandas nos accingamus, perneccessarium esse arbitror, fundamenti loco, pulsum physiologiam, sive ejus constitutionem secundum naturam pramittere, ut eo melius postea reliqua connecti & ex justa connexionem veritates desideratae detegi ac explicari possint. Controversia autem primo loco occurrit; an motus cordis sit unus idemque cum pulsu, sive an uno eodemque tempore, quando cor est in systole, arteria etiam sint in systole, sive an systole cordis & arteriarum verus sit pulsus, an potius inversa ratione, systole cordis & diastole arteriarum reciprocent, sive quando cor est in systole, an arteria sint in diastole, & pulsum quem tangimus non systole, sed potius diastole arteriarum sit? Jam autem Magnus noster Sennertus, in *Institutionibus Lib. 3. part. 1. Sect. IV. Cap. 1.* priorem amplectitur sententiam, & docet eodem tempore cor & arterias dilatari & constringi, & temerarium dicit esse, his quae sensibus percipiuntur, non acquiescere, & quamvis eodem in loco dubio valde nobili suam sententiam oppugnet, dum nempe scribit, si eo tempore, quo cor constringitur

tur & sanguinem expellit, etiam arteriæ constringuntur, sequi, arterias non posse sanguinem recipere, & contra quo tempore cor & arteriæ simul dilatantur cor non posse sanguinem ab arteriis trahere, cum mutua hæ tractiones sese impedirent; nihilominus ita huic dubio respondet, nihil incommodi ex eo sequi, dum non ita arteriæ comprimuntur & clauduntur ut plane nihil possint recipere sed sufficiens adhuc sit cavitas, ad id, quod cor transmittit, recipiendum. Item cor ex pulmonibus trahere, arterias vero non solum ex corde sed etiam ex vicinis partibus, & vcnis in dilatatione trahere posse. At vero quod hæc sententia sano conceptui, de motu sanguinis circulati, quem suo tempore ignoravit coeterum non satis laudandus vir, quivis facile perspicere poterit. Non possumus autem satis mirari ex recentioribus, celeberrimum quendam medicorum Sennerti vestigia adhuc premere, & cui sanguinis circulus exacte cognitus est, non vereri hæc adserere: cordis motum in systole ipsissimum esse cum motu arteriarum, qui sentiatur in pulsu, & systolen notare *ναρ' ἐξοχῆν* pulsum unde eos refutat, qui motum cordis & arteriarum non eundem sed alternatum statuunt, de cætero miratur, tantum Virum *Galenum* & *Johannem Baptistum Montanum L. I. de pulsibus dignosc. cap. V.* scripsisse, non cujusvis pulsus systolen seu contractionem sentire posse, imo rejicit plane eos, qui diastolen arteriarum credunt, quando pulsus micet. At vero pace tanti Viri qui nobis charus & semper honorandus est, asserimus cum recentioribus ferme omnibus solidioribus, pulsum nihil aliud esse, quam arteriæ dilatationem sive expansionem a sanguine cordis contractione ex sinistro ventriculo protruso & expulso in arterias, quæ a sanguinis e corde excuntis illisu, universo sanguinis fluido communicato extrorsum tenduntur & dilatantur, & postmodum dilatata omnes resiliunt, & in pristinam figuram non modo redeunt, sed & ultra, aliqua ex parte constringuntur & sanguinem novo impulsu ulterius in extremas arteriolas inque venarum origines propellunt. Duplici enim motu ipsæ arteriæ gaudent, recte sentiente *Bellino in tract. de pulsibus*, uno extrorsum qui dilatatio est

est, seu incurfus in digitos, altero motu introrsum, qui constrictior est, seu subductio digiti, quæ difficillime cognoscitur ac percipitur, recte sentiente *Galeno*. Nempe circulus sanguinis, a quo jugi ac perenni vita nostra pendet, sine mora & quiete ulla fit, & reciprocis istis cordis & arteriarum motionibus perficitur nec sine illis intelligi potest. Quodcumque enim cor est in systole & expellit, arteriæ sunt in diastole & recipiunt, & quando arteriæ propter copiam fibrarum, quibus constant, spiralem & muscularum sese contrahunt, venæ & cor sunt in diastole & ex arteriis sanguinem capiunt.

Memorable hoc loco est, ipsum *Galenum* jam suo tempore eandem fuisse sententiam, quæ egregie cum circulo sanguinis convenit, dum *Libro VII. de Anatom. administr.* scribit: pulsatio cordis & arteriarum ita se habet, ut quando Cor attollitur, arteriæ dimittantur, & quando cor dimittitur, arteriæ attollantur, quod ex anatome cognoscitur. Egregie quoque conspirat hanc in sententiam *Fernelius*, p. 185. Pulsus ex diastole & systole constat. Diastole id est distractio est qua arteria se quoque versus diffundit. Systole autem contractio est, qua in se ipso undique subsidet, seque submittit.

CAP. II.

De Pulsu Celeri & Frequenti.

Ratione hujus pulsus non levis inter Medicos dissensio & opinio divortium hinc inde deprehenditur. Veteres unanimi ferme ore has species inter sese distinctas volunt. Ex recentioribus autem nonnulli frequentem & celerem pro uno pulsu æstimandum esse, quod passim ex scriptis eorum cognoscitur a quorum tamen sententia nonnulli discedunt, præsertim qui præ aliis sapere volunt, & tantam distinctionem esse affirmant, ut Practicus illum absurdum haberet, qui vellet hos pro uno pulsu venditare. Ut emergamus ex hisce dubitationibus & difficultatibus, pretium operæ est, rem paulo clarius & plenius scrutari atque inquirere. Veneranda antiquitas hac fuit in
con.

constanti lententia, cum pulsus motus sit localis, hinc quodcunque ad motum localem requiritur, & quicquid de hoc motu in univ[er]sum negari & affirmari potest, illud etiam de pulsu negari & concedi debere. Et cum juxta *Galenum & Sennertium* quinque ad motum localem requirantur, nempe primo movens, (2) spatium per quod fit motus (3) tempus quod corpus motum confecerit in spatii transitu (4) si motus ex contrariis est compositus, quies & (5) instrumentum per quod motus perficitur. Ex hisce jam differentias pulsuum simplices petunt. A motore dicunt; pendet vehementia & debilitas, hinc pulsus vehemens & debilis: A spatio seu quantitate distensionis indicatur magnitudo & parvitas pulsus. Tempori quod arteria in motu consumit, respondet ejus celeritas & tarditas. Et prout parum vel diu in quiete moratur, dicitur creber vel rarus. Ab organo autem pulsus, quod est arteria, quæ nunc est mollior nunc durior, sonorus pulsus mollis & durus. Quamvis autem *Sennertus in Institutionibus p. 576.* celerem pulsuum definiat, quando arteria brevi tempore spatium suum percurrit, ipse tamen postea cognoscit, celeritatem pulsuum ad spatium applicari non posse, quoniam illud spatium tactu cognosci non potest, unde monet in definiendo pulsu celeri ad motus qualitatem, an nimirum incitatus vel remissus sit, potius respiciendum esse. Unde *Fernelius* & cum ipso complures pulsuum celerem definiaverunt, quod sit is qui brevi tempore arteriam distendit, tardus contra, qui longo tempore hoc facit. *Cl. Bellinus in Tr. de pulsibus pag. 75.* ait: Celer ille pulsus dicitur, qui ad digiti pressionem minimum temporis persistit, tardus qui diutius. Frequens autem pulsus appellatur ille secundum *Sennerti, Fernelii* aliorumque sententiam, cui breve quietis tempus subest, id est modicum interpositum intra utramque diastolen tempus. Rarus, cui longum quietis tempus est, vel in quo tempus inter unam & illi succedentem arteriæ distensionem longum est, sive adhuc pressius, frequens dicitur, qui brevi quietis intervallo arteriam distendit, tactumque ferit, rarus qui longioribus intervallis id facit. Paucis: Frequentia non proprie de motu in se considerato dici potest, celeritas autem

tem vel tarditas sive intensio vel remissio vis motricis propriæ motui competit, cum quivis motus in se & sua natura ratione celeritatis sive intensiois & tarditatis sive remissionis æstimandus sit. Neque enim unus motus in se consideratus dici potest frequens vel rarus, sed saltem hæc differentia de pluralitate & numero pulsuum in certo ac determinato tempore valet. Unde dicitur motus seu impulsus frequens quando v. g. intra dimidium horæ ex siphone aqua centies ejicitur, rarus autem, quando trecies intra dimidium horæ emittitur, ubi nempe longa quietis intervalla manent. Rectissime itaque tali in casu, ubi globus v. g. impellitur, celeritas impulsus quoad singulos ictus potest habere locum & tamen rarius id est longo temporis intervallo interposito quivis ictus fieri possunt. Ita etiam remissus ratione vehementiæ potest esse quivis ictus globi, & tamen frequentius repeti. Hæc omnia recte & rite se habent, in motibus, qui non sunt continui, sed certa interposita quiete gaudent, ubi utique differentia hæc insignem & egregium usum habet, neque ita celer & frequens motus unus idemque est. At vero longe aliter se res habet in arteriarum motu negotio. Pulsus enim motus est continuus, nec ulla eget quiete, hinc fluxus sanguinis jugiter sine ulla mora ac impedimento ex corde in arterias & ex his in venas & rursus ex illis in eas transit & circumvolvitur. Equidem minime existimandum est, quando post pulsuum seu dilatationem arteriæ extrorsum nullus motus vel ictus amplius tactu percipitur, feriari arteriam & veram intercedere quietem, sed potius ut in superioribus dictum & res per se clara & perspicua est, statim post dilatationem arteriæ sive pulsuum nulla quies interponitur sed mox arteria tum propria elastica vi, tum spirituum in fibras illarum musculosas influxu introrsum resilit movetur & contrahitur, qua contractione ipse sanguis urgetur in venas, & hanc rursus mox dilatatio seu ictus extrorsum excipit. Unde pulsus perpulchre comparari potest cum pendulo, quod etiam perficit uno latere in alterum latus motum continuum ne ulla sensibili quiete observabilis. De tali motu continui speciei, quem Veteres non in pulsu agnove-

B

runt,

runt, sed recentiores optime capiunt, quæstio oritur, an celeritas & frequentia, quando de hoc prædicatur, res eadem an plane distinctissima sit? Hoc jam sub examinis incudem revocandum est. Quandocunque itaque intra quadrantem horæ bis mille pulsus in ægrotante subjecto annotat Medicus dicit illum frequentem, id est naturali frequentiore, quando autem in alio subjecto intra idem tempus numerat ictus tantum mille dicit illum rarum. Jam si alius Medicus advocetur & in iisdem subjectis frequentem denominet celerem, rarum autem tardum non injuria inde quæritur, quis verum dixerit. Nos respondemus utrumque verum. Nam impossibile est, cum motus cordis & arteriarum semper in systole & diastole sit constitutus, ut pulsuum numerus intra temporis spatium exiguum crescat & major observetur, nisi quævis systole & diastole arteriarum sit celerior & intensior seu breviori tempore fiat, non secus ac videmus in pendulis, quæ quo numerosiores faciunt certo tempore vibrationes, eo breviores adeoque celeriores debent fieri. Probe enim hic notandum est, unius ictus arteriæ celeritatem non bene posse per se sentiri, quoniam vix punctum temporis durat. Unde felicissimus ille Practicus *Sylvius in Praxi Medica Lib. I. Cap. XXVI.* scribit: celeritas pulsui adscripta mente quidem concipi potest non item digitis tangi ac percipi, id quod etiam confirmat ingeniosissimus Medicus Mathematicus *Bellinus in Tr. de Pulsibus pag. 75.* inquit: celer pulsus quia puncto minimo temporis persistit, in statu a naturali parum recedente vel non datur vel tactu distingui non potest, cum naturalis motus extrorsum arteriæ vix punctum temporis duret. Multo minus in statu p. n. id sensibile erit. Ex quibus dictis liquido jam constare arbitror pulsuum non dici posse frequentem nisi celeritas ictuum singulorum sit conjuncta & celerem pulsuum non posse dici, nisi ex frequentia seu numero pulsuum id judicetur, quoniam unus ictus non potest facile ratione celeritatis distingui, unde rectissime scribit *Cl. Sebelhammerus in Tr. de Pulsibus p. 73.* frequentem non citra celeritatem observari. Et jam perspicua erit ratio qua de causa nunquam legitur in historiis morborum pulsus tardus & pulsus frequens conjunctus, vel pulsus celer & pulsus

* (II) *

pulsus rarus simul, quas species in motu interrupto dari, nemo negabit, in non interrupto autem sive continuo ac jugi non possunt coincidere.

Ex eo jam liquido consequitur pulsus species minime referendas esse ad cujusvis motus localis sive corporis impulsus naturam, ita ut quod de quovis motu locali prædicari possit, afferendum quoque sit de pulsu. Ignoravit enim cordata antiquitas circulum sanguinis qui motu continuo fit ex quo merito petiti & explicari omnes species & differentię pulsus debent.

CAP. III.

De Pulsu vehementi & quomodo differat a celeri.

HAud ignotum est, quod omnes fere tam ex recentioribus, quam Veteribus scriptores unanimi sententia peculiarem differentiam pulsus celeris & vehementis constituent, dum illum intensum citatum velocem, & contrarium remissum, hunc autem validum fortem, robustum & oppositum debilem imbecillum languidum denominant: Et quemadmodum celeritatem a motu brevi tempore facto ita vehementiam a moventis virtute valida vel debili, ducunt atque derivant. Verum enim vero non leve hic occurrit dubium, an non celer pulsus sit etiam dicendus vehemens sive pro uno eodemque habendus, quandoquidem celeritas ut constans est Mathematicorum sententia, non nisi vis movens aucta & intensior est, sive celeritas nunquam sine intensione virium motricium concipi potest. Virium autem intensio sive celeritas magnos præstare potest effectus, sive multum vincit resistentię; jam autem vehementia motus dicitur tantum respectu effectuum, quando nempe per actionem moventis magnū robur mobilis resistens vincitur, unde omnes statici & mechanici in eo conveniunt, quod celeritas parvi corporis æquare & compensare possit magnum pondus, magnamque corporis molem, cum notum sit, globum duplo celerius motum plus effectus præstare, quam globum duplo majorem in tardiori motu ex-

B 2

isten.

istentem. Conspicimus porro quam mirabiles effectus tenuis-
sima corpora, aer, æther, ignis, in celerrimo motu constituta
præstent. Videtur etiam ipse *Galenus Lib. III.* de differentiis pul-
suum *Cap. V.* in eam conspirare sententiam, quod celeritas & ve-
hementia pulsuum non multum inter se differat, id quod sequen-
tibus declarat. Vulgo inquit, apud Autores *σφοδρότητος* seu ve-
hementiæ nomen dicitur κατ' ἐνεργείας ἐχηγῶς τεῖμα καὶ καχεί-
ας, de contenta seu forti simulque celeri actione & homines ii
σφοδροι dicuntur, qui ἐυτόως τε ἀμα καὶ ταχέως ἐνεργῶσι, qui
contentam & celerem edunt actionem. Et propterea ideam *Gal-*
enus ibidem scribit, si vocabula medica constituendi potestatem
haberet, sibi que liberum esset, nomina pulsibus imponere, sim-
plicem qualitatem ac differentiam τῶν ἀντιβατικῶν δε καὶ ἀνα-
τρεπτικῶν τῆς ἀφῆς τῶν σφογμῶν, renitentium ac tactum ever-
tentium pulsuum se nominaturum ἐχὴν ἢ μάμην, ἢ αὐτοίας vim
vel robur vel contentionem vel simile quid, differentiam vero,
ex hac & celeritate compositam *σφοδρότητα* seu vehementiam
se appellaturum. Verumtamen quia nomen *σφοδρότητος* seu
vehementiæ maxima pars Medicorum de una ex simplicibus dif-
ferentiis usurpat, illud retinendum nec mutandum esse censet.
Ut autem hæc universa magis clara & perspicua evadant; per-
necessarium est, ex Staticis & Mechanicis hoc loco supponere,
vehementiam duplici modo considerari posse vel respectu molis
movendæ, vel respectu intensiois vis motricis. In genere ve-
hementia de motu prædicatur, quando ille magnum valorem ha-
bet sive magnos effectus præstat, multum resistentiæ corporum
vincit, unde etiam vehemens pulsus dicitur, qui tangentis ma-
num valide ferit, languidus autem & debilis, qui imbecilliter &
remisse manum percutit. Jam autem vehementia respectu mo-
vendi corporis est, si magna sit ejus moles, unde corpus magnæ
molis seu quantitatis magnum in motu præstat valorem seu ve-
hementem motum efficit.

Deinceps vehementia quoque dicitur de ipsa motus inten-
sione quando nempe ille concitatus intensus est, sive celeriter
fit,

fit, unde patet minimæ molis corpus celeriter quidem moveri posse & magnam quoque exercere efficaciam, longe autem validiorem & gradu vehementiorem exurgere potentiam si utrumque concurrat, nempe moles corporum & simul celeritas motus. Tametsi ergo celer pulsus in se consideratus recte sentiente *Galeno* nunquam vehementiæ sit expers, quando spiritus copiosi adsunt & fibras cordis animant: attamen dicitur robustus & vehemens si celer & simul magnus quando non parva sed ingens sanguinis quantitas una cordis systole celeri in arterias dejicitur & tunc, quod signum est vehementis pulsus, manus fortiter & cum violentia quadam percutitur.

CAP. IV.

De genuinis pulsuum differentiis
& illorum causis.

Cum Veteres uti in superioribus monitum, species pulsuum ex morus localis natura desumerint, hinc quot species motus dantur, vel excogitari possunt, tot etiam pulsuum species finxerunt, adeo ut simplicium & compositorum innumeræ ratione, temporis spatii, instrumenti, ordinis, æqualitatis, proportionis rythmorum, virtutis moventis, descriptæ præsertim apud *Galenum* differentiæ legantur. Postea autem factum est, ut speciose has confictas, cum non in praxi deprehenderent, vel inutiles vel incomprehensibiles & propterea multas rejiciendas esse, solide ac doctè monuerint. Ita *Job. Bapt. Montanus Consilio 236.* de minoribus pulsuum differentiis in genere fatetur, se eas cognoscere non potuisse, & *Galenum* hac in re nescio quid græci habuisse exilimat, atque se credere ait, *Galenum*, cum ista scriberet & pulsuum genera ad minimum divideret, risisse, postea addit, ut ut istæ differentiæ ratione atque intellectu colligi possint, tamen procul dubio omnes tactu perceptibiles non sunt. Egregius quoque hanc in rem extat locus in *Cassari Hoffm. Insit. p. 650.* dum scribit: De pulsibus cum brevibus & nervose scripserit *Goldalduinus* putaverim præferendum illud compendium esse

tribus Galeni operibus, de differentiis, causis & prælagiis ex pulsibus. Quin puto subtilitates esse Herophyleas quas insuper habere possit, non tantum instituendus, sed & Medicus, exercitatus. Hujus opinionis semina iniecit mihi Montanus *Consilio* 257. Confirmavit amicus in Italia qui ex ore *D. D. Bartholomæi Schwalbii Medici Pragensis Senis* referebat, contentum se esse tribus differentiis, æquali & inæquali, veloci & tardo, valido & debili; Momentum amplius dedit *Plempius in fundam. Medic. L. IV. Sect. 2. cap. 2.* Multa, inquit, Medicos de pulsibus nugari, multaque mentem ingeniosam fingere, quæ sensus nequeat assequi. Acutissimus *Welschius in operibus p. 285.* talia prodidit: In universa pulsuum doctrina multa incerta superflua, imo & rarissima ad lubitum excogitata jam doctiores advertunt, qui longe alium sanguinis motum in circulum compererunt, quam facultati pulsificæ ac vitali plerique alii ad musicas notas potius quam mechanicas rationes explicandum per somnium adscripsere. *Sylvius* paucissimo numero inclusit prolixas alias veterum differentias pulsuum & ad tria tantum reduxit capita, nimirum ad pulsus robur, magnitudinem & frequentiam. Per pulsuum robustum intelligit vehementem, qui vi quadam digitos tangentis ferit, debilis vero est, quando id leniter vel leviter contingit. Magnum definit, quando multo & amplo spatio, parvum quando paucis & angusto spatio arteria explicatur. Frequentem dicit, quando eodem temporis spatio sæpius quam alias vel in aliis pulsat, rarum vero, quando minus sæpe quam solebat aut decebat arteriæ expansio & ictus observatur.

Ut autem hæc omnia in concinnum redigamus ordinem & genuinas, quæ in Praxi occurrunt & in statu secundum & præter naturam deprehenduntur differentias adstruamus, primo omnium necesse est, ut ex Mechanicis supponamus, omnem motum vel celerem esse vel tardum. Vera enim proprietas motus est celeritas vel tarditas. Qua de causâ recte docuit *Galenus in libello de pulsibus ad tyrones Cap. III.* proprie ad motum pertinere celeritatem & tarditatem, cujus hæc est motus remissus, illa incitatus: & de his faciendum esse judicium

cium ex comparatione naturalis pulsus. Secundo, omnis motus vel in magna vel respective in parva mole fit, adeoque omnis motus est, vel magnus vel parvus. Tertio, ratione ordinis motus est vel æqualis vel inæqualis: æqualitate intellecta tam ratione temporis sive celeritatis quam ratione magnitudinis sive vehementiæ.

Supposito autem: motum cordis & arteriarum esse continuum motum ex systole & diastole reciproce constantem, nulla quiete comprehensibili interjecta hinc pulsus erit vel magnus vel parvus. Magnus est si multum sanguinis unica cordis constrictione emittitur in arteriam, adeoque hujus distensio fit magna & ampla. Parvus est si pauca sanguinis quantitas unica systole transit in arteriam, quæ parum nec in magno spatio distenditur. Deinceps pulsus est vel celer sive velox vel tardus. Celer est, quando cor celerrimo & brevi temporis spatio sese contrahit & sanguinem in arteriam ejicit. Tardus est, quando longiori tempore eget cordis constrictione sive paulo longius durat vibratio sanguinis in arteriam, Cum autem in singulis pulsibus gradus celeritatis vel tarditatis non bene & accurate possit mensurari, quoniam momento temporis fit; hinc rectissime ex frequentia, id est quando eodem temporis spatio sæpius quam alias arteriæ expansio observatur, celeritas pulsuum determinatur, ita ut frequentia tantum signum character & mensura celeritatis sit, & raritas tarditatis, cum frequentia de nullo motu in se considerato dici possit. Recte ita in continuo motu, qui tamen ex diversis speciebus systole & diastole constat, ubi una percipitur, altera non, celeritatem ex frequenti illo perceptorum motuum numero dijudicare debemus.

Tertio pulsus est vel æqualis vel inæqualis: æqualis est, quando ratione celeritatis sive frequentia pulsuum succedentium, item magnitudinis & parvitatibus exacta est æqualitas. Inæqualis autem est, quando jam pulsus magnus existit, alter, autem parvus est, unus magnus & celer sive vehemens, alter autem parvus & debilis, sive unus celer, alter deinde valde tardus, ut quasi videatur pulsus intermittens, cum tamen intermissio pulsus

fus, ad inæqualitatem, quæ in magna tarditate conflit, optime possit referri. Quarto, pulsus est vel vehemens sive fortis robustus, aut debilis. Vehemens est, mixtus ex magno & celeri compositus quando magna copia sanguinis virium motricium, seu spirituum, systolem cordis parit, debilis est, quando cor contractur ab exigua spirituum quantitate.

Differentiæ istæ a Veteribus descriptæ, v. gr. vermicularis, formicantis, tremuli, ferrati, caprizantis, partim ab inæqualitate pulsuum, partim a tunicarum, quibus arteriæ constant, convulsione dependent, unde semper fere in acutis periculosa sunt judicandæ. Quod attinet ad pullum durum & mollem, hic identidem tantum a constitutione arteriæ pendet. Quandocunque enim a nimio dolore, spasmo vel convulsione nimis tensæ, duræ & renitentes arteriolarum evadunt tunicæ, ut renitentia quædam sensum tactus feriat, dicitur durus: mollis autem fit, si fibræ tunicarum in arteriis flaccidæ, remissæ, & humido obsessæ sunt; quando magnus & vehemens cum tali arteriarum molli statu concurrat, undosus vocatur, qui prodromus est imminentis magni sudoris.

Ex simplicibus hisce jam statutis differentiis liquido dijudicari poterit, quænam pulsuum species invicem possint conjungi, & quænam non. Itaque pulsus ex magno & celeri compositus datur.

Secundo datur etiam pulsus frequens sive celer & debilis sive celer & parvus.

Tertio datur præterea pulsus tardus & magnus, qualis in statu naturali & senibus plethoricis contingit, item in Melancholicis nec non scorbuticis quibusdam. Nunquam autem datur celer & tardus pulsus, neque tardus & rarus, neque vehemens & debilis, nisi vocabula invicem plane confundere velimus.

De pulsuum signis nec non eorum differentia pro diversitate atatis, tempera- mentorum, sexus, vitæ generis.

Quemadmodum motus cordis & pulsus arteriarum a copia, robore spirituosæ elasticæ expansivæ substantiæ, quæ tam in sangulne, quam in liquido netveo existit. 2. a debito fibrarum musculosarum cordis & arteriarum tono 3. a sanguinis debita temperie, quantitate & consistentia secundum naturam perficitur: ita præter naturam qui fit, ex eodem fonte derivari ac deduci debet.

A Circulo autem debito & æquabili sanguinis ac humorum per partes solidas, vitam & sanitatem pendere ac universam regi corporis machinam, extra dubium est, adeo ut non inconcinne metus hic sanguinis Naturæ nomen mereatur, qui quo magis moderatus & ad legem compositus æquabilis est, eo, perfectior natura sui conservatrix & morborum medicatrix existit, & ex adverso, quo magis deffectit ab æqualitate moderatione, eo debilior dicenda est natura, variis incommodis & morbis obnoxia. Multum itaque interest, ut Medicus cujusvis individui circulum, tam in statu secundum naturam, quam præter naturam, cognoscat, ut deinde eo melius iudicium de dispositione ad morbos, de ipsorum morborum natura & eventu ferre possit. Jam autem nullus ibit inficias, circulum sanguinis non meliori via investigari posse, quam per tactum arteriarum sive pulsuum; non superficiale, sed crebrioribus vicibus & sufficienti & decenti tempore indagandum. Is, enim non modo virium & robur totius corporis sed & sanguinis naturam & constitutionem, nec non secretionum per necessariam conditionem refert & patefacit. Et sicuti inquires sive pendulum horologii appositum motu suo æquabili temperato, de horologii præstanti fabrica ac usu testatur: ita etiam pulsus totius hominis naturam omniumque functionum vigorem vel depravationem facit testa-

C

tum

tum. His ita constitutis primum in pulsus moderati, constantis, æquabilis, qui cæterorum lex atque mensura sit, inquirendum est. Moderatus autem pulsus appellatur, qui non adeo magnus neq; nimis celer vel tardus, nec durus nec inæqualis est. Hic est ad ejus comparationem cæteri omnes dijudicari debent, & non nisi optimam totius corporis harmoniam ac temperiem omnium causarum præter naturalium absentiam & moderatum ac temperatum calorem designat. Hic si adest, debitam spiritusæscentiæ præsentiam, fibrarum naturalem tonum, & sanguinem temperatum fluxilem denotat, adeoque liberam transpirationem, bonam nutritionem, vigorem actionum animalium, omnesque secretiones in debito statu existentes, paucis: sanum corpus significat. Quodcumque autem plus solito est citior, celerior, adeoque frequentior, cor præternaturaliter, uti veteres amant loqui, irritatum indicat, nisi a causis externis & non naturalibus oriatur, si vero diutius perseveret, certe, morbum cum augmento caloris, imo febrem, denotat. Quando magnus & celer sive vehemens est, indicat febriculosam intemperiem & heterogenei quid sanguini, lymphæ, immixtum, copiam tamen simul sanguinis virium & spirituum patefacit & circulatio tunc intensior ac citior sanguinis est, & calor ac sitis urget, habitusque corporis calore, rubore ac turgescencia est perfusus: ubi parvus autem pulsus adest, & exilis sanguinis quantitas ex corde transit in arterias atque ex venis rursus in cor, debilis & imminutus sanguinis circulus præsto est, unde transpiratio, & omnes secretiones, imbecilles ac languidæ sunt, vires paucæ & infirmæ fiunt: Si talis parvus seu debilis frequens sive celer est, virium insignem languorem, motum intestinum præter naturalem & sanguinis circulum debilem arguit, qui, si talis diu persistit, malignitatem magnumque periculum denotat. Tardus pulsus sanguinis ut plurimum visciditatem & crassitatem & parvum debilemque circulum & secretionum languorem indicat, si simul autem debilis est, non adeo tutus observatur, sed virium plane succumbentium suspicionem suppeditat. Tardus autem & magnus pulsus, virium adhuc robur, fibras cordis &

arteri

arteriarum tenfas & crassas & sanguinem ténacem viscidum arguit. Inæquales omnes pessimi sunt, nec æqualem fluidi nervi influxum & sanguinem in mixtura sua turbatum & immutatum denunciant, præsertim si debiles simul sunt, qui nihil unquam boni præfagiunt. Ita etiam pariter intermittentes, infausti omninis sunt, & vulgo pro lethalibus habentur. At vero non univèrsale id est: sæpius enim sine periculo id observatur, ubi nempe prava sunt symptomata & vires ægri adhuc constant, unde haud infrequens hypochondriacis & melancholicis est, ubi sanguinis motus intestinus ob ejus crassitiem depressus est. Si autem debilitas & celeritas juncta fuerit, plerumq; mortem præfagit. Durus pulsus, dolorum, spasmodorum, hæmorrhagium convulsionum ut plurimum testis est, propter fibras cordis & arteriarum spasmodice contractas. Irregulares, caprizantes, discreti, pessimum totius corporis statum, tam quoad partes fluidas & impetum facientes, quam quoad solidas manifestant.

Probe hic notandum est, non unum eundemque pulsum in omnibus individuis observari, sed quoniam pulsus a tono fibrarum musculosarum a spirituum influxu, a sanguinis natura & temperie pendent, & hæc universa mirum variant in corporibus humanis ratione sexus, ætatis, temporum anni, regionum, vitæ generis, somni, animi pathematum; hinc etiam pro diversarum rerum constitutione variat & differt multum inter se pulsus. Ita ordinario viri, mulieribus pulsum habent longe majorem, & celeriore, foeminae autem tardiore & debiliore, utpote viri firmioribus fibris & sanguine calidiori præ foeminis instructi sunt. Quare etiam in viris sanguinis circulus auctior est, qui non tantam colluviem exsuperantis sanguinis & aliorum humorum generant, quam foeminae, quæ ordinario imbecilliores & morbis facilius subjiciuntur. Deinceps Cholericis & sanguineo-cholericis pulsum majorem, celeriore ac vehementiore præ phlegmaticis & melancholicis habent, adeoque citatior in eis est motus, excretio promptior, sanguis fluxilior, quam in hisce, utpote illorum sanguis majori copia partium oleosarum sulphurearum quæ fons ac matrix caloris & spiritua-

ſcentiæ ſunt, imbutus ac præditus eſt. Ita etiam porro quoad habitum corporis macilentiores & qui fibras ſtrictiores habent, vaſa majora, præ obefis, qui laxis fibris gaudent, vaſaque tenent anguſta, majorem & validiorem pulſum poſſident, unde etiam illis ſaniores, robuſtiores aptiores ad perferendos labores ſunt: & hæc jam eſt ratio, quare natura craſſi & obefi, citius quam graciles ægrotent atque intereant. vid. *Hippocr. Sect. 2. Aphor. 64.*

In ætate infantili ac puerili pulſus creber atque mollis eſt, in ſenili contra tardus ac magnus: juvenis vero ac viri pulſus magnus & vehemens eſt. Ordinario enim pueri & infantes copioſo: humores, qui etiam ad auſionem iſtis neceſſarii ſunt, multasque ſordes colligunt, quæ cauſa eſt cur pueri & infantes facilius ægrotent ac moriantur quam juvenes & viri. Senes craſſum fovent ſanguinem ſed rigidioreſ habent fibras, unde pulſus eorum durior eſt, & fortius manum percutit. Mollior autem in pueris & infantibus ob fibrarum teneritudinem & laxitatem deprehenditur. Pulſum porro anni tempora, corporis motus, ingeſta, animique perturbationes immutant. Vere medio pulſus magni ſunt & vehementes, ubi etiam vigor corporis tunc eſt maximus, unde rarius tunc ægrotant homines & citius convaleſcunt. In æſtate media celerioreſ & debiliores ſunt, quoniam a nimio calore langveſcit virtus, inteſtinus autem motus ſolito major eſt. In autumno autem pulſus tardioreſ mollioreſ debiliores ſiunt, in hyeme durioreſ & paulo vehementioreſ, tardioreſ. E regionibus & cœli conſtitutionibus, quæcunque calida fuerit & æſtuofa, æſtati medix, quæ vero frigida hyemi; quæ temperata, veri ſimillima putetur.

Exercitatio pulſum, adeoque circulum ſanguinis auget otium autem ac torpor tardum, debilem ac ſegnem facit pulſum, ſanguinisque circulum imminuit. Alimenta ſpirituofa pulſus edunt magnos, vehementes, crebros. Dormientium tardi, parvi, ac langvidi pulſus ſunt: eorum vero qui expergifcuntur e veſtigio magni ſiunt, citatioreſ, robuſtioreſ.

Iraſtorum pulſus magnus vehemens & celer eſt; terrore affectorum, frequens, parvus, inæqualis; triftium parvus, langvi-

gvidus & tardus, adeoque uti pulchre scribit Fernelius L. III. de pulsibus p. 160. Quotidianæ corporis affectiones pulsus mutant, sine quarum animadversione non certo possit pulsus percipi nec quantum per morbos a naturali distet.

Itaque pulsus naturalis observandus est, neque mox ab exercitatione a balneis, a cibo immodico, a vino, aut ab aliis causis calefacientibus: neque illico ab ira vel timore, vel ab aliis causis cor & spiritus agitantibus, de pulsu quicquam statuendum est, antequam externarum causarum vis deferbuerit, omnisque sedata fuerit corporis perturbatio. Equidem pulsus certissimum quidem signum & index motus cordis & sanguinis est, sed si solus is spectetur & non aliarum simul circumstantiarum ratio habeatur, fallere in iudicando potest, quoniam vel mille rebus, ut ait Celsus de Medicina L. III. Ca. VI. potest turbari.

CAP. V. De Pulsu Febrili.

Non levis dissensio inter Medicos semper fere fuit, qualis pulsus sit essentialis febribus, vel qui pathognomicum earum signum præbeat. Plurimi ex Veteribus, ex quibus Galenus primus est, pulsus celerem & frequentem febrem denotare in scriptis suis prodiderunt. Ex recentioribus autem multi pulsus frequentem pro febris genuino signo allegant. *Sylvius in praxi Medica Lib. II p. 460.* ingenuè scribit: hoc unicum febris omni soli ac semper competens signum est, adeoque pathognomicum, pulsus scilicet præter naturam frequentior, quo præsentem febrem adesse, absente autem abesse febrem, certo pronuntiari queat, nec enim aliud signum, quod competat omni febrili & semper, innotuit Practicis. Reliqua enim signa omnia non tam febrem quam febris speciem aut gradum aut tempus indicant & demonstrant. *Etmullerus* si ullus, certe hic, solidus & accuratus in Praxi, p. m. 248. hæc differit: pulsus naturaliter frequentior rectè statuitur signum pathognomicum februm a *Sylvio* tam in Dissertatione de natura februm, quam

in Praxi, quicquid in contrarium scribat, Deusingius Tract. de Disquisitione anti Sylviana. Belgarum Practicus Deckerus in Notis ad Barbette p. 103. scribit, ubicunque pulsus præter naturam frequentior observatur, ibi febris est. *Sebelhammerus in tr. de puls. p. 47.* frequentem in omni febrium genere nunquam non sese offerre scribit, & cum calore earum esse signum pathognomonicon.

Cl. Bohnius in Collegio M. S. semiotico sententiam hac de re fovet sequentem: in frequenti pulsu inquit causæ morbificæ & cordis par robur videtur, si scilicet constans & uniformis permaneat, adeoque unicum febrium pathognomonicon signum, verum si debilitas celeritati superveniat, concidere vires indicium est, magis tamen vel minus, prout nunc vehementiores nunc debiliores plures ictus notantur. Alias autoritates circa hanc rem adstruendam arcescere, nullius pretii foret, illud saltem in universum monemus, quod ex falsa hypothesi veteres & plurimi recentiorum distinctionem fecerint inter celerem & frequentem.

Frequentem nempe ipsum dixerunt, si intra certum tempus crebræ pulsationes fierent, per celerem autem vehementem voluerunt intellectum, unde ipse *Willisus Tract. de febribus pag. 195.* pulsus febrilem illum vocat, quando arteriæ vehementius & citatius vibrant, quo loco dicit, si pulsus debito est vehementior, febris intenditur. *Cælius Avelsanus L. 1. p. 37.* ait, febrium ponunt signum fervorem plurimum atque immutacionem pulsus in vehementia, nisi hæc ex aliqua causa manifesta fiat.

Quapropter *Dn. Brown in Observationibus Medicis in Regii præxin* passim confirmat, celerem & debilem, pulsus sibi esse contrarios, adeo ut pateat, per celerem sive velociorem intellexisse vehementiorem. Quamvis Autores accuratum conceptum de pulsuum speciebus hætenus vix sibi formaverint, nihilominus tamen in eo omnes tam Antiquiores quam recentiores conveniunt, quod pulsus frequentem, in omni febris specie sive continua sive intermittens sit, sive benigna sive maligna, sive eius principium sive status sit, adesse pronuncient, unde illum

semper

semper vel cum debili conjungunt, idcirco in eo conveniunt, quod pulsus frequens magis secundum ipsorum sententiam, sit dicendum signum essentiale febrium, quam alius, quoniam eum nec in febrium principio, tempore horroris, neque in malignis abesse, vix unus est, qui statuatur. Ex nostris autem suppositis jam facile patet, has sententias discrepantes, optime posse conciliari, dum celer pulsus nullus alius est quam frequens, qui utique verum est febrium signum. Est autem hæc frequentia vel major vel minor & cum magno aut vehementi, vel parvo & debili sese associat, pro diversitate Febrium temporum morbi & subjectorum.

Frequens enim & debilis seu parvus nunquam fere bonus, & circulum sanguinis non auctum, sed languidum denunciat. Frequens autem magnus sive vehemens qualis solet esse ut plurimum in statu continuarum, intensiorem sanguinis circulum & auctum fervorem corporis denunciat.

Pulsus autem frequentis, qui fere præternaturalis est, pluribusque morbis sese annedit, causam ut inquiremus, res poscere videtur.

Sequemur autem ea in re *Bellinum* Medicum accuratissimum, qui in *Tractatu de pulsibus* cordis motum, ex influxu sanguinis per Coronarias & liquidi per nervos in fibras cordis ducit, vel concludit exinde cordis musculos frequentius moveri, quando in ipsis incidit liquidum nervorum frequentius, quod contingit cum sanguinis apta quantitate fluente ad cerebrum validius hoc ipsum premitur.

Per frequentiore autem constrictionem cordis fit pulsus frequentior, hic igitur indicare poterit aptam sanguinis quantitatem ad cerebrum fluere & hoc ipsum premi validius, quod fiet, vel si sanguis ad cerebrum subsistat, obstructis solum venis ejus, vel si sanguis earum in reliquis resfluere non possit stagnante sanguine intraneo vel in pulmonibus; vel si sanguis effervescentiam conceperit, qua nitatur majori impetu quaquaversum & cerebrum premat validius. Rursus moventur musculi frequentius, stimulo aliquo irritati, si igitur sanguis æquo a-

crior

rior, calidior aut huiusmodi fuerit, ita ut in cordis sinus derivatus, molestus sit illis, cor frequentius contrahetur, eritque propterea, pulsus ille frequens index sanguinis stimulantis.

CAPUT VI.

De usu Pulsuum in Praxi Medica.

Cum ex superioribus satis ut arbitror deductum fuerit, pulsus testari non modo de sanguinis circulo eius constitutione ac temperie, sed & de motu sanguinis æquali ac virium præsentia, hinc in morbis cognoscendis, in formando circa eos prudenti iudicio, nec non in administrandis medicamentis, notitia & attentio pulsuum non potest non insignem utilitatem atque usum medentibus asserre. Præcipuos saltem hic usus, attigisse sufficiat. Primo autem monendum hic merito est, sollicitè esse scrutandum pulsus, nec superficialiter. Chineses Medici Europæis hac in re longe sunt attentiores, cum integram sæpius horam hoc negotio consumant. Nostri autem Medici ad lectum ægri accedentes vix duas pulsationes expectant, quod maxime culpandum est, utpote sæpenumero evenit, post decem demum vibrationes arteriarum, inæqualitatem vel intermissionem quandoque occurrere, quod fit, dum sanguis inæqualiter mixtis partibus refertus cordis transit penetralia. Deinde tangendus quoque pulsus est in utroque carpo, in collo, temporibus, cum testetur experientia variare sæpius pulsus in manuum carpi & in uno commodius quam in altero posse explorari. Deinceps perquam dignum notatu est, etiam certarum partium pulsus in considerationem venire debere. Ita nonnunquam hypochondriaci sub costis in sinistro latere magnum advertunt pulsus, quod fit, dum sanguis crassus & viscosus calore vel ex alia causa exagitatus celeriore per pancreas & lienem transitum urget, at hærens in angustiis pulsationem & punctiorem efficit, unde pulchre *Job. Ant. van. de Linde in selectis Medicis p. 253.* scribit, seditionem facit lien pungendo pulsandoque. Quam sint lienis punctiões aculeatæ, experiuntur aliqui etiam sanorum,

rum, quam primum incallescunt. Ita magna pulsatio fuit illi, cujus *Cent. II. obs. 28.* meminit *Nicolaus Tulpus*. Pulsatio venarum capitis interna major in febribus continuis & malignis, plerumque delirium subsequens designat. Judicium enim est, sanguinem ibi congestum impeditius circulari ibique hærentem tandem inflammationem meningum gravissimam causari. Præclara sunt quæ scribit *Hippocr. in Coac. prenot. 128.* Pulsus magnus si a nimia & excessiva sanguinis ebullitione oriatur, ita ut venarum temporum in febribus pulsent & facies turgida absque præcordiorum molliæ, longum fore morbum metuere oportet, qui nec sine largiori narium hæmorrhagia aut singultu convulsionem aut Coxendicum dolore desinit. Ratio nobis hæc est, sanguis exsuperans quærit exitum, sive per nares sive per inferiora seu sedis venas, qui quantocius accedit, eo citius liberatur æger a morbo & contra. Deinceps si in parte quadam corporis pulsatio observatur, quæ alias non advertitur, inflammationi & suppurationi præsertim si tumor & dolor adfuerit, partem affici certissime credendum est. Porro si pulsus durus percipitur, inflammationis in partibus membranaceis nervosis signum fere indivisum esse solet. Durities enim hæc pulsus sive nimia arteriæ tensio fibratioque spasmodici quicquam, quod ex consensu inflammationis & doloris oritur, indicat. In genere autem omnis pectore affectorum pulsus, durus inæqualis est, quod etiam contingit in cordis palpitatione. Talis autem pulsus, nisi celeritas adjungatur, nullum habet comitem calorem præter naturalem, & fit dum sanguis non recte ac libere per cordis thalamos pulmonum lobos pertransit. In virium debilitate, dispositione ad syncopen, pulsus parvi rari ac languidi esse solent, si autem plane non possunt percipi, interea sudore frigido corpus diffluit, mentis tamen functiones non penitus destructæ, tunc per ipsam experientiam a nobis aliquoties observatum fuit, intra 6 horarum spatium mortem certissime subsequi, & tale quid a corrosivo veneno assumpto binis vicibus a nobis quoque notatum fuit. Præterea notabile est, circa tempora critica in febribus, quando natura vel per alvum vel per

D

sudo.

sudorem emittit noxia & superflua, pulsum quidem adhuc esse languidum, nihilominus magis ordinatus nec tam creber observatur, id quod indubitatum convalescentiæ præbet indicium. Quod si autem mollis percipitur quasi undosus, excretionem criticam per sudorem instare salubrem, prædicendum est.

Tandem nec silentio prætereundum, a medicamentis subire mutationem ipsum pulsum. Ita post purgantia vehementiora nimias sedes causantia pulsus celerior esse solet. Post sanguinis missionem præsertim in plethoricis ordinario pulsus fieri solet citior, indicio circulationem sanguini facto spatio majori auctam esse bono cum eventu, hinc etiam suppressi menses vel hæmorrhoides hoc auxilii genere in ordinem ut plurimum redire solent. Post Martialium usum pulsum citiorem evadere, faciem fieri rubicundiorem & calorem augeri, testis est ipse *Cl. Sydenhamius*, cui etiam experientia adstipulatur. Sudorifera valentiora ex volatilibus oleosis conflata notabiliter cordis & pulsus motum intendunt ac augent. Ex adverso anodyna, opiata, nitrosa, pulveres præcipitantes, acida & quæ intestinum sanguinis motum deprimunt & sulphur ejus figunt atque enervant, moderatiorem & sedatiorem pulsum in doloribus, inflammationibus ac febrili intemperie efficiunt. Talem effectum plus vice simplici notavimus quoque in Praxi a nitri & camphoræ debita mixtura. Postremo loco, in exhibendis medicamentis, quod etiam suo tempore *Willisus in Tr. de Febr.* probe observavit, cautiones & regulæ non levis momenti a pulsu desumuntur. Ita prohibentur purgatio & vomitio a pulsu nimis citato & vehementi, etiam ab humili & depresso, utpote quando sanguis in vehementi ebullitione est, secretiones ut plurimum feriantur: si vires autem deficient, quod ex pulsu languido dignoscitur, pharmaca eas magis prosternunt atque convellunt, quamobrem Medicus, qui vomitoria vel purgantia ægrotantibus propinare conatur, in primis pulsum exploret. Quando enim pulsus est validus, & motus sanguinis sedati, excretiones dicte artificiales optime quadrant. Eadem hac cautione opus est,

in

* (27) *

in exhibitione sudoriferorum analepticorum omniumque quæ calorem & motum sanguini fœnerant. Quod si enim pulsus validus & creber est, talismodi spirituosa, quoniam sanguinem nimis rarefaciunt & intestinam ejus motionem accelerant, plus damni quam emolumenti afferre solent. Hoc pacto enim sæpe delirium aliæque inflammationes accersuntur. Adhuc majori circumspectione opus est pulsuumque exploratione in exhibendis narcoticis sive opiatis. Hæc quoniam potentia gaudent motus sanguinis & spirituum nimium sistendi, adeoque vires infringendi, hinc nunquam ubi pulsus debilis languidus & parvus est, ea ipsa sunt exhibenda sed potius canepes & angve vitanda: si autem simul inæqualis intermittens est, formnum perpetuum facile accersunt.

CI. DN. CANDIDATO

S. P. D.

PRÆSES.



I quid auspicati ac prosperi de ullo ex meis ominandum est, certe a Te me non spe frustratum iri confido. Si enim virtutum semina, ut ajunt, propagatiōne a Parentibus in liberos transfunduntur, profecto in Te id ipsum apparere judicio. Ci. Tuus Parens, Vir Senex, tam annis quam sapientia atque experientia celebratissimus & magni vestri, Monarchæ Medicus gratosus Te genuit in senectute & hac ratione adultum ingenium, mores &

D 2

vir:

virtutes quæ senibus propriæ sunt, summumque amo-
rem in Medicinæ studium Tibi implantavit, ut natus a
Medico ad Medicinam videaris. Ingens Tuum bonas
artes & præcepta Medicinæ saluberrima discendi deside-
rium ex eo satis apparet, quod ex remotissimis locis ad
nostras oras accessisti, ubi non superficiali sed solidis
ac utilibus rebus laborem ac operam strenue impendi-
sti, utpote non modo mathematicas & physicas scienti-
as, quæ Medicum decent, magno ardore hausisti tam Re-
giomonti quam hic locorum. Insuper & in utroque lo-
co regulas, legesque motuum, quæ in universo obser-
vantur & mechanicæ dicuntur, sobrie ad corporis huma-
ni phænomena explicanda, ad ejus conservationem &
sanationem applicare didicisti, ut experientiam quæ ma-
ter quidem Medicinæ, per se autem ipso *Hippocrati* te-
stimonio incerta & fallax est ex solidis, non fictitiis rati-
onibus explicare & corroborare possis. Quod si enim
vera Medicinæ datur Theoria, ea nonnisi ex principiis,
quæ corporibus competunt, cujus generis sunt mecha-
nica, ducenda ac petenda est, sine quibus omnes in me-
dicina rationes inanes tabulosæ & fictitiæ sunt. Quod si
enim rem accuratius pensitemus, Medicus non nisi cir-
ca corpora organica & humanum corpus jam formatum
est occupatus. Omnes autem actiones corporis huma-
ni, nonnisi ex structura partium solidarum debita, con-
grua temperie ac motu partium fluidarum profiscun-
tur, unde non modo hæ sed & animi inclinationes, mo-
res, dispositiones ad morbos, ratione ætatis, tempera-
mentorum, climatum, vitæ generis, quæ cuncta variè
Mechanismum corporum disponunt & modificant, mul-
tum longèque inter se differunt. Vita ac sanitas ex rebus
etiam corporeis aere nempe ac victu, animi path-
ma-

matibus pendet, nec non morborum causæ ac ortus ex eodem fonte, si vitium contraxerint, derivari debent. In explicatione effectuum, qui tam secundum quam præter naturam eveniunt, quid commodius & clarius est, quam hos ipsos ex sanguinis circulo ac humorum vel solidorum vitio adeoque mechanice deducere? Remedia cuncta in operando non aliter explicari possunt, nisi quod humorum & sanguinis temperiem & motum varie modificent, id est mechanice operantur. Paucis: Physicus & Medicus non scrutatur causas primas, nam nunquam illas penetrabit, nempe quid sit essentia motus, quænam animæ natura intima, quænam ratio vis plastica in semine? sed tantum occupatus est circa causas proximas & corporum inter se agentium effectus, reactiones mutuas, in hisce observandis, & connexionem quadam colligandis si attentus est Medicus & scit quomodo materiæ prævæ indolem corrigere & quales motus efficere in morbis debeat, tunc officio suo cum maximo successu functus est. Hæc omnia tam clara ac perspicua sunt, ut si quis sano conceptu potiatur, ea negare vel ullum solidum dubium adversus hæc proponere nequeat. Nihilominus mirandum vel potius dolendum est, dari ex eruditissimis, qui hisce fundamentis, nescio ex qua animi obstinatione infensissimi sunt, & loco horum notiones mere abstractas generales, metaphysicas & causas morales, partim non conceptibiles partim petitionem principii sapientes, omnibus viribus ambiciosius inferre contendunt. Et cum clariora edocti hæc ipsa approbare nunquam possint, ecce illi rem ipsam promiscue contemptu & sarcasmis excipiunt, & quod majus adhuc est, horum Magistros indigne tractant, injuriis laceant & falsissimis imputationibus pure innocentes onerant ac lædunt.

Quales plebejos rixandi mo-
 D 3 res

* (30) *

res majoribus adhuc documentis non ignotos omnes honesti & recti animi viri merito perhorrent. Ego qui mechanica principia doceo, nunquam contrarias mihi opiniones vel privatim vel publice vel tecte vel aperte perfringo, carpo vel sugillo, sed cum summa modestia dubia removendo mea defendo, ut scripta mea docent, & omnes, qui me audiunt boni, possunt testari: nec unquam hoc privatim quod jam publice coactus facio, de illis principiis dixi.

Neque adstrictos firmiter discentes volo ad meas sententias, sed omnibus ubique discendi, libere sentiendi, propriis meditationibus indulgendi, meliora, quæ videntur, sequendi, licentiam concedo atque commendo, nemini, nisi mihi ipsi candore noxius. Regulæ instar mihi semper hoc est: ubi veritas & perspicuitas tractatur, ibi ut plurimum modestum & placidum ingenium conspicitur. Nullo enim patrocinio vel artificio veritas eget, sed ubivis instar lucis penetrat & convincit, nisi ingenium impatiens philautia & præjudiciis occæcatum offendant: Ubicunque autem idearum adest obscuritas, phantasiæ vires regnant, & ultra limires intellectus vagari vult, ac adfectus concurrunt ibi plerumque juncta videbis convitia, animi impetus, contestationes suspiciones, accusationes altercationes: quin imo tales sæpe eo deducuntur, ut si peritiores crambem vel centies recoctam non velint gustu approbare, omnes pro insipientibus habeant, sique nolint immodestius cum ipsis congredi, pro vecordibus ac stiptibus tractent, tales non immerito ob temperamenti vitium, si ceterum boni sunt, commiseratione prosequimur, res autem, neq; aliter fieri potest, prudentum judicio & temporis beneficio est committenda. Publicæ autem rei interest, ut non laudandos istos mores ipsi

ipsi castigent, & ad meliorem moderationem sese recipiant. Sed ignoscas quæso Clarissime Vir quod tuis laudibus hæc interpolare res postulauerit. Tu fructum non pœnitendum olim in Praxi, quæ sine ullo errore per hæcce principia tractatur (ab omnibus enim postulo ut tantum unus monstretur) tandem percipies. Ceterum Deum T. O. M. precibus sollicito, ut tuis laudatissimis conatibus ulterius gratia sua adesse, omnis prosperitatis genere eos sæcundare & animi ac corporis posteriores & constantes vires ad molestissimum iter feliciter conficiendum, largissime concedere velit.

Quis veniet Motus, nostin interpretes Amice,
 Quis, quæras? pulsus sat manifestus adest.
 Lydius hic lapis est, genium quo noscere cordis
 Humorūque statum cautus habebit opus.
 Cor motus centrum, radii salientia vasa
 Si cordis ductus, signa parata tenes.
 Ezcutis hinc Medicus, quæ pulsus notio vera.
 Quod multos latuit, jam patet arte Tua.
 Vim numerum, fluxum pulsus sic exprimis omnem,
 Comprobet ut merito quilibet illud opus.
 At quid ego fileam? ratio dum muneris urget,
 Gratuler ut prompta mente manuque Tibi.
 Index sinceræ mentis Tibi constat amicū
 Quod colimus studium, mutuus atque favor.
 Hunc stimulat virtus, qua factum manat honestum,
 Hæc & amicitia dat documenta bonæ.
 Ut sani signum pulsus conformis habetur,
 Sia idem certi testis amoris erit.

Hoc

Hoc pulsu studiis impulsus gratulor ætis,
Sic Doctoralis Purpura fausta vovens.


Quibus in monumentum incorruptæ ami-
citiæ Nobiliss. atque Clarissimo Dno. Candida-
to Amico suo πολυφιλάτω de Honoribz Do-
ctoralibus applaudere voluit debuit

J. J. STANGIUS.

SIn blosser Glückes Wunsch / der hilft ja keinem nicht/
Und dienet gang und gar zu nichts in unserm Leben/
Ich kan ja nicht einmahl der Lampen wieder geben/
Den blossen Schein damit wenn ihr das Del gebricht.
Wer aber allezeit der Tugend Weisheit liebt/
Und folget der Vernunft / dem muß es auch gelücken /
Es muß Ihm immer gehn nach Wunsch in allen Stücken /
Weil Er durch die Vernunft sich sein Gelücke giebt.
Ist diesem nun also Hygæens werther Freund /
So kan dir auch mein Wunsch nichts vom Glücke geben /
Weil du die Tugend hast / so find sichs schon daneben /
Denn diese ist damit unmittelbahr vereint.
Drumb muß dein ganges Thun dir glücklich gehn von statten /
Weil Glück der Tugend folgt / so / wie dem Leib der Schatten.

Dieses hat aus Schuldigkeit beysügen wollen.

NICOLAUS MARTINI.



Ua 1659

ULB Halle 3
004 187 067



Nur für den Lesesaal

Petro V







32
31

INAUGURALIS

theoriam

examinat,

AM
NIFICENTISSIMO
WILHELMO,
REGNI HEREDE,

SIDE
HOFFMANNO,
ET PROFESSORE,
ORIS GRADU

M. DCCII.
ntilat
DATUS Blumentrost/
oviensis.

GDEBURGICÆ
REÆ ZEITLERI, acad. typ. 1714

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

